



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. I. Quid sit Opinio Probabilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

ctionem dubiam, vel minus tutam; at verò possessor non debet abdicare nudam possessionem rei, seu puram detentionem (& sic nec maritus debet expellere uxorem) nec tamen potest per se interim pro libitu re uti, præsertim, si talis usus non esset ipsi licitus, casu quo sciret, rem non esse suam: & hinc non potest rem consumere, vel deteriore reddere. Secundò non est per se adeò difficile suspendere facultatem petendi debitum, donec adhibita fuerit sufficiens diligentia: at verò, si pro omni tempore deberet conjunctum carere ea potestate, esset difficillimum.

291. Dices 2. Ergo etiam invincibiliter dubius de impedimento, poterit, saltem si post adhibitam diligentiam tamen dubium non potuit vinci, contrahere matrimonium. Resp. neg. illatum; quando enim agitur de valore sacramenti, non potest adhiberi sententia, vel materia tantum probabilis, si possit haberi tuta, qualis potest haberi in nostro casu; potest enim contrahere cum alia. Quare autem minus liceat agere in dubio de conficiendo invalidè sacramento, seu periculo talis sacrilegii, quam in dubio de committenda fornicatione, ratio est ipsa gravis irreverentia exponendi periculo nullitatis sacramentum: item sunt omnes aliæ rationes, quibus motus est Innocentius XI. ad condemnandam primam propositionem inter 65. ab eo proscriptas.

QUÆSTIO III.

De Conscientia Probabili.

ARTICULUS I.

Quid sit Opinio Probabilis.

292. **A**D quæstionem hujus tractatus facile gravissimam accedimus, nempe de usu licito, vel illicito, sententiæ, aut opinionis probabilis, ad quam rite intelligendam, opus est, terminorum, hac in materia usitatorum explicationem enucleatam præmittere. Itaque alia sententia est vera, alia falsa, alia certa, alia erronea, alia dubia, alia probabilis, alia tuta. Sententia vera est, quando est conformis objecto materiali, ita, ut istud se habeat, prout sententia affirmat. Falsa verò est, quando se habet opposito modo. Certa dicitur, quæ vi sui motivi excludit omnem formidinem: & si quidem motivum sit clarè propositum, dicitur insuper evidens: si verò obscurè, ut contingit in actibus fidei, dicitur solummodo certa.

293. Hæc certitudo assignari solet communiter triplex. *Metaphysica*, quando neque supernaturaliter: *Physica*, quando saltem non naturaliter, res aliter habere se potest: *Moralis*, quando quidem naturaliter res potest aliter se habere, at non nisi valde rarò, ut adeò excludatur dubium prudens. Alii cum La Croix lib. 1. num. 179. distinguunt inter certitudinem moralem perfectam, & imperfectam, illamque dicunt nisi motivo morali tam certo, ut excludat dubi-

um etiam imprudens: talis est certitudo de existentia Urbis Romanæ: alteram volunt, excludere dubium solummodo prudens.

Quidquid sit de hoc, an illa prior sit vocanda certitudo tantum moralis (nam alii eam ad metaphysicam, vel physicam reducunt, & moralem tantum dici volunt; quia principia moralibus, sed tamen metaphysicè, vel physicè certis nititur) communis saltem per certitudinem moralem intelligitur illa, quæ excludit tantum dubium prudens, non verò etiam imprudens. Addendum, etiam posse contingere, ut dubium excludatur ab aliquo assensu, non ob meritum motivi, sed ex erronea apprehensione, aut æstimatione motivi, supra meritum suum, vel ex imperio tantum voluntatis, quæ certitudo tantum dicitur *apparens*, aut *adhepsa*, vel *affectiva*, potestque dari etiam in actu fallo, & sæpius datur in assensibus hæreticorum falsis contra veritatem Catholicam.

294. *Erroneæ* sententia, si latissime sumatur, est omne iudicium falsum, existimatum verum: & in hoc sensu sumptum conscientiam erroneam num. 219. si strictissime autem sumatur, est sententia, quæ opponitur conclusioni Theologicæ certæ, seu deductæ ex una præmissa de fide, & altera evidente: & in hoc sensu sumitur erroneum, quando sententia ut erronea condemnatur. Nos autem hic sumimus hanc vocem, in sensu quasi medio, pro omni ea sententia, quæ nec objecto materiali conformis est, nec est concepta ex motivo probabili. Dubia opinio jam explicata est à num. 241. Tuta autem vel Tutior à num. 245.

295. Restat exponendum, quid sit Probabile. Non autem loquimur hic de probabilitate Academicorum veterum, quos impugnat S. Augustinus tribus libris, qui, si non omnium primi, certè inter primos ab eo conscripti sunt, & dicti *Contra Academicos*. Non, inquam, loquimur de illa probabilitate; illorum quippe Academicorum principium erat, sapientem nulli rei assentiri debere ut certæ, sed omnia esse incerta, & probabilia. Quid autem probabile juxta Philosophos illos fuerit, refert idem S. Doctor lib. 2. cap. 11. dum sic loquentem inducit Licentium: *Id probabile, vel verisimile Academici vocant, quod nos ad agendum sine assensione potest invitare: sine assensione autem dico, ut id, quod agimus, non opinemur verum esse, aut nos id scire arbitremur, agamus tamen &c.* Unde, vel ineruditum, vel malignum est, si dicatur S. Doctor scripsisse contra veram probabilitatem Theologicam, quam plurimi tunc in praxin deduci posse affirmant; nemo enim ex Theologis somniat, quod illi Academici docuerunt, scilicet licitum esse agere id, quod intellectus non potest prudenter judicare esse licitum: cumque nihil ipsis esset certum, omnia etiam turpissima erant probabilia, adeoque licita. De hac igitur probabilitate tantum Academica non agimus, sed de vera, & Theologicè sumpta probabilitate: quamvis fatendum sit, etiam in hujus descriptione, auctores non convenire, quæ de re videri potest La Croix lib. 1. à num. 103. ubi variae probabilitatis definitiones rejiciuntur: mihi non vacat longum eorum examen instituire.

296. Dico igitur, cum satis communi; Sententia,

tentia, vel opinio probabilis est assensus incertus quidem, & fallibilis, non tamen precipitanter, aut temerario conceptus, sed ex motivo gravi, seu motivo virum prudentem ad irreprehensibilem assensum. Gravitas autem motivi, ut recte observat Banholzer in *ethice Christiana* a. 2. n. 3. debet sequi connaturaliter propositionem objecti, & non oriri ex affectu indebitè propenso, aut inclinante ad unum præ alio: neque ex iudicio iam ad unam partem determinato. Gravitatem hanc alii multis conantur magis explicare, & præsertim Terillius in *regula morum* p. 1. q. 23. assert. 3. sed non bene, aliorum est iudicium. Puto cum auctore *ethice Christiane* loc. cit. hanc rem vix clariùs posse exponi, & quemvis in se ipso satis experiri, quid sit, non temerè, vel ex levitate animi, sed prudenti iudicio, & ex gravi motivo, absolute rei assentiri, vel certè eam probabilem censere.

297. Insuper motivum probabile non debet esse certum, vel, si in se tale sit, saltem id opinanti non debet esse perspectum, aut penetratum; alias non differret talis assensus à certo, quod est contra suppositum omnium. Neque tamen etiam debet esse motivum, quod tantum sit magnum absolute, hoc est, magnum, & forte, si nulla esset ratio in oppositum: sed debet etiam esse magnum comparative, hoc est, in comparatione cum motivis contrariis. Hinc, licet aliquæ opiniones, oppositæ dogmatibus fidei, se solis spectatæ, haberent pro se rationes apparenter magnas, e. g. quæ sunt contra *Mysterium SS. Trinitatis*, tamen non sunt probabiles; quia comparatæ cum motivis credibilitatis fidei, penitus enervantur. Et hinc strictè probabile nihil esse potest, cuius oppositum, quocunque demum ex capite, five ex autoritate Divina, five humana, five ex ratione, est strictè moraliter certum.

Id tamen verum non est, quod Caramuel in sua definitione opinionis probabilis requirit, nempe, quod hæc debeat habere contra se fortes rationes; nam contingere potest, ut alicui res quædam probabilis sit ex motivo fallibili, ita tamen, ut non adsint ullæ rationes in oppositum, vel saltem, hic & nunc, nullæ opinanti incident: & sic maritus sæpè iudicat probabiliter, prolem esse suam, etsi nulla ratio adsit, ob quam existimetur aliena. Et potest utique dari pro una parte contradictionis ratio aliqua, fallibilis tantum, quin tamen pro opposita appareat ulla ratio: quo casu illa opinio dicetur unice probabilis; nisi velis facere quæstionem de nomine, & sententiam unice probabilem vocare moraliter certam: quæ tamen acceptio esset valde lata, & ut mihi videtur, non vera; cum vi motivi talis, vel ex ejus exigentia, non excludatur omnis formido oppositi.

298. Diximus etiam num. 296. motivum ita grave esse debere, ut virum prudentem possit movere ad irreprehensibilem assensum: quod non ita accipiendum est, quasi quemvis deberet posse permoveere ad assensum talem, absolute rei præstandum; nam visum est mihi semper difficile, quòd quis vir prudens à motivo, quamvis adhuc comparative probabili, sed tamen, in comparatione motivorum contrariorum, longè, vel notabiliter minus probabili, possit prudenter

R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

moveri ad assensum absolute ei præstandum, ita ut quasi implicite, vel æquivalenter dicat: *Quamvis pro opposito sit longè major apparentia veri, tamen istud est verum.* Non quidem nego, voluntatem posse intellectum permoveere ad assensum talem: quòd autem verè prudenter id possit, & non tantum prudentiæ carnis, quando nullum aliud motivum extrinsecum virtutis accedit, mihi semper valde durum est visum.

Hinc, ut dixi, ad hoc, ut aliquid sit verè probabile, opus non est, ut quis, stantibus quibuscunque in oppositum maioribus, sed tamen adhuc intra limites probabilitatis contentis, motivis, possit absolute prudenter ei assentiri: sed sufficit, si prudenter possit iudicare, id esse probabile, & viros alios prudentes, si ei absolute assentiantur, propterea reprehendi non posse; cum contingere possit, ut ipsis motiva opposita (ad quæ ritè expendenda etiam ipsi merito censentur idonei) non videantur excedere, vel certè non tantum excessum habere; sæpè enim contingit, etiam inter æqualiter doctos, ut uni ratio aliqua videatur longè efficacior, quàm alteri, atque adeò, quod uni est probabile subjective, alteri sit tantum probabile objective, de quibus terminis mox plura.

ARTICULUS II.

Quomodo dividatur Opinio Probabilis.

299. **D**ividitur jam opinio absolute & comparative probabilis (de qua ordinariè saltem loquemur) primò in probabilem intrinsecè, & probabilem extrinsecè. Illa est, quæ nititur ratione, seu motivo gravi, rei intrinsecò, id est, petito ex natura rei, seu huic annexo. Altera est, quæ nititur autoritate, iudicio, vel testimonio doctorum, vel aliunde fide dignorum. Quòd si opinio, & ratione, & autoritate fulciatur, erit intrinsecè, & extrinsecè probabilis, quod sæpè contingit.

Ubi obiter adverto, quòd, etsi quis author non ex eadem ratione, ac alter, sententiam aliquam adstruat, imò, eius ratio ejus non videatur efficax, tamen possit ejus autoritate firmari sententia; alias (ut faciliè patebit consideranti) non esset diversitas inter probabilitatem intrinsecam, & extrinsecam, seu inter argumentum à ratione, & ab autoritate. Accedit, quòd alias sapius non possent pro aliqua sententia adduci, valde celebres auctores, imò sæpè nec SS. Patres; quia sæpè eorum ratio non videtur efficax, aut cum aliis principiis illius, qui eos adducit, non cohæret, adeoque non assumitur; cum tamen passim, etiam à prudentissimis viris, tales auctores soleant citari.

Ex occasione etiam noto circa probabilitatem extrinsecam, quòd non statim unius, aut alterius authoris, etiam impressi, assertio, faciat opinionem ab autoritate probabilem: esto, non contradicat manifestis principiis fidei, nec sit ab Ecclesia proscripta; nam Alexander VII. damnavit hanc propositionem 27. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Imò nec plures auctores faciunt sententiam extrinsecè probabilem

Q